

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvcvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Ad Nicolavm A Flisco Episcopvm Cardinalem Sabinensem. Thomæ De Vio
Caietani, Tunc ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, Nunc Sancti Xysti
Cardinalis, in comparationem authoritatis Papae, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

AD NICOLAVM A FLISCO EPISCOPVM
CARDINALEM SABINENSEM.

THOMÆ DE VIO CAIETANI,
Tunc ordinis Prædicatorum Generalis Magistri,

Nunc Sancti Xysti Cardinalis, in comparationem authoritatis
PAPÆ, & Concilij.

P R A E F A T I O.

 AMETSI puto, Pater amplissime Flisce, eam comparatio-
nem quam nuper de Pontificis maximi Ecclesiæque totius au-
thoritate scripsi, à multis hac tempestate, quemadmodum in
diuersa studia scinduntur, ita dissimili ratione esse legendam,
acceptandam, diiudicandam: omnibus tamen gratum fore
puto, vel minimarum rationum, quæ ad hanc rem inusitatam,
conlentaneam tamen, his temporibus afferuntur, fieri certio-
res. Aduersariis quidem & æmulis, vt impugnant: amicis, vt ea, quæ veritatis sunt,
defendant: ceteris autem, vt præsto ad legendum habeant quid de tanta, his tem-
poribus concursatione, maximaque & olim sepe & in præsentia contentione, sit
constituendum. Ego Prædicatorum ordinis (Romanæ ecclesiæ veritatisque stu-
diosissimi) generalis Magister, hanc summae authoritatis comparationem, in de-
fensionem quidem veritatis, & sedis Apostolicæ, non vt hominibus placeam
(quamquam si id quoque assecutus fuero, non aspernabor) sed vt Iesu Chri-
sti veritatisque seruus sim, libere scripsi, tibiique in præsentiarum, & dedico
quidem rectè, & perquam libenter inscribo, quod ab illa sede, quam defen-
do, & quam Fliscorum ornatissima familia tua ornatissimis viris, Episcopis,
Cardinalibus, & summis Pontificibus semper ornauit, ipse sis tandem summis ho-
noribus exornatus. Quumque te optimum Prædicantium ordinis protectorem, &
conciliandæ conseruandæque ecclesiasticæ unitatis, & veritatis amplificandæ vehe-
menter cupidum esse sciām, nil ambigo, quin ea, quæ pro veritate, & tanta autho-
ritatis unitate, atq; concordia ex eo ordinē à me tibi inscripta dedicataq; sunt, gra-
tias, animo, & qua polles probitate & benignitate singulari suscepturnus, atq; habi-
turus inter cetera sempiternæ voluntatis, & obseruantia erga te meæ testimonia.
In æuum Vale.